



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

17. An Confessarius vi Iubilaei, vel Episcopus possit commutare votum perpetuae castitatis, vel Religionis metu levi extortum? Idem est dicendum de votis emissis in periculo mortis, & naufragii. Et an ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76369)

Pontifice commutatum ad materiam non referuatum, v.g. in elemosinas, in confessiones mensuras, &c. posse Confessarium vi Iubilæi, & Episcopum hanc materiam commutationis non referuatum commutare in aliam materiam. Ita Lauorius de Iubilæo, p. 2. c. 27. n. 102. Tambur. de iure Abb. tom. 2. disp. 18. q. 8. num. 11. Aragon in 2. 2. q. 88. art. 12. Malderus in 2. 2. tr. 10. c. 5. dub. 11. Sayrus in Clauis Regia, lib. 6. cap. 12. n. 24. Lefsius lib. 2. c. 40. dub. 13. n. 105. Sanchez de matrim. l. 8. disp. 9. n. 20. & Pontius de matr. lib. 8. c. 8. §. 2. n. 24. vbi sic ait. Sexto colligitur Episcopum etiam dispensare posse in materia in quam à Pontifice commutata sunt prædicta vota referuata, & idem dicendum est de quouis alio habente priuilegium ad dispensandum in votis, quia post commutationem prioris voti materia non est referuata Pontifici. Ita ille, & ego. Nec valet dicere, Primò quòd subrogatur sapit naturam eius cuius loco subrogatur, l. 1. Cod. de rei uxoria actione. Cum ergo sit votum castitatis, aut Religionis, cuius loco subrogatur materia illa, in quam facta est commutatio, referuata erit, sicut votum castitatis, aut Religionis. Secundò, quia onus illud, in quod facta est commutatio, videtur impositum ex præscripto Pontificis, in præcepto autem Superioris non potest inferior dispensare, l. minor magistratus, ff. de arbitris. Nam respondendo ad primum, illud axioma esse verum in fauorabilibus, non autem in odiosis, qualis est referuatio. Ad secundum respondeo non esse ibi peculiare præceptum Pontificis, sed ex causa concessa est in gratiam votantis facultas dispensandi, aut commutandi rito alicui docto, ea tamen lege, aut conditione, vt votanti imponat pia aliqua opera, non tamen præcipit Pontifex illa pia opera ita manere sub obligatione, vt non possit Episcopus ex causa in illis dispensare.

RESOL. XVII.

An Confessarius vi Iubilæi, vel Episcopus possit commutare votum perpetuæ Castitatis, vel Religionis metu leui extortum? Idem est dicendum de votis emissis in periculo mortis, & naufragij. Et an votum etiam solemne ex leui metu iniuste incusso edictum in foro conscientia sit irritum? Ex parte 5. tr. 12. Resol. 62. alias 61.

Negatiuam sententiam docet ex Syluestro Iulius Lanotius de Iubil. part. 2. cap. 27. num. 187. & Suarez de Relig. tom. 2. lib. 6. de voto, cap. 26. num. 4. & 5. quia inuoluntarium, quod in tali voto inuenitur, est tantum secundum quid, quod non sufficit ad tollendam referuationem, vt est clarum in votis emissis in periculo mortis & naufragij, in quibus inuoluntarium secundum quid non tollit referuationem.

1. Verum his non obstantibus contrariam sententiam tenendam esse puto cum Lessio lib. 2. capite 40. num. 31. Henriquez lib. 11. cap. 15. num. 8. in glossa litt. A. Layman. lib. 4. tract. 4. cap. 8. num. 11. & Leo de Iubilæo, part. 2. quest. 17. sect. 1. num. 97. vbi sic ait. Queritur an possint dispensare Episcopi, & per consequens etiam Confessarius virtute Iubilæi quando Religionis votum & castitatis fuerit metu leui emissum, loquimur enim hic de metu incusso ab extrinseco, non autem de incusso ab intrinseco, puta emissio ratione infirmitatis, naufragij, &c. quia hic metus non tribuit, secundum communem Doctorem sententiam, facultatem Episcopis, vt in nostro tractatu, cum de obligatione voti diximus, & responderetur affirmatiuè. Ita ille, & ratio est, quia talia vota facilis dispensationis sunt. Tom. IV.

esse debent, tum ob imperfectionem consensus, quippe aliquo modo extorti, tum etiam ob odium iniuste extorquentis, præsumendum non est Papam sibi referuare velle. Adde, vt obseruat Layman, loco cit. ex Nauarro & Rodriq. votum etiam solemne ex leui metu iniuste incusso edictum in foro conscientia esse irritum.

3. Sed circa casus occurrentes in Iubilæo quoad commutationem votorum remitto me ad ea, quæ dixi in p. 1. tract. 11. à resol. 39. vsque ad resol. 85. loquens de Bulla Cruciatæ.

RESOL. XVIII.

An Confessarius virtute Iubilæi, in quo datur facultas commutandi vota, exceptis votis Castitatis, & Religionis, possit commutare iuramenta pia Religionis, & perpetuæ Castitatis? Et an dicta, iuramenta sint referuata Summo Pontifici, vel tantum Episcopis? Ex parte 5. tract. 12. Ref. 60. aliàs 59.

1. Negatiuam sententiam docet in terminis Sanchez de matr. l. 8. disp. 13. n. 7. & in summ. tom. 1. l. 4. c. 54. n. 21. Layman. l. 4. tr. 3. c. 11. num. 4. & alij quos ego ipse citauit & sequutus sum in 4. p. tract. 4. resol. 69. ex ratione ibi adducta.

2. Verum contrariam sententiam non carere sua probabilitate, ibi etiam probauimus, quam aperte docere videtur in terminis Iubilæi Alphonus de Leon. art. 2. q. 13. sect. 1. n. 83. vbi sic ait. Queritur primò an possit Confessarius commutare iuramenta Castitatis & Religionis, & Sanchez p. 1. summ. c. 54. n. 24. videtur negare ex eo quòd dicta iuramenta respiciant aliquam promissionem Deo factam, induunt rationem votorum, & sic pari passu cum illis ambulant, tamen concedit ipse Sanchez contra aliquos, quòd dicta iuramenta non sint referuata Summo Pontifici, sed tantum Episcopis, vnde videtur omnino affirmandum, quòd dicta iuramenta possit Confessarius commutare vi Iubilæi, omnia vota quæ potest Episcopus commutare auctoritate ordinaria. Vnde Sanchez, si hoc negaret, deberet probare etiam quòd possint commutare dicta vota vt Delegati Summi Pontificis, quod neque probat, neque probare potest.

RESOL. XIX.

An Confessarius virtute Iubilæi habens facultatem dispensandi, & commutandi vota extendatur hæc facultas ad iuramenta promissionis Deo facta, vel ad vota iurata? Et an verò, si facultas delegata dispensandi, aut commutandi esset limitata ad vicium votum, tunc possit auferri iuramentum de eadem materia illi concomitante adiunctum? Ex p. 5. tract. 12. Ref. 58. aliàs 57.

1. Negatiuam sententiam docet Valentia tom. 3. Sup. hoc sup. disp. 6. q. 6. punct. 4. Azor. tom. 1. l. 11. c. 10. q. 2. in tr. 3. Ref. 85. & in to. Lessius l. 2. c. 42. dub. 12. n. 60. Sanchez in summ. tom. 1. lib. 4. cas. 53. num. 20. & alij. Probatur hæc opinio, doctrinam quia cum conceditur priuilegium gratis, non est laxè interpretandum, sed strictè. Si ergo conceditur facultas ad dispensandum in voto, non est extendenda ad vinculum iuramenti, iuxta regulam textus in c. porro: de privileg. Secundò, quia ista sunt vincula diuersæ rationis, cum autem conceditur maius, concessum intelligitur minus, si sint eiusdem rationis, vnde in dispensationibus matrimonij quoties impedimenta sunt diuersæ rationis, non censetur sublatum vnum impedimentum minus ex ablatione maioris, & in c. cui de non

Quæ omnes hic sunt appositæ in præterito tr. 3. de Bulla Cruciatæ à Ref. 69. vt que ad 122

Quæ hic est sup. in tr. 3. Ref. 92. & in tom. 8. tr. 4. Ref. 79.

Sup. hoc in Ref. annor. præterita.